

na illustratióne per senem quemdam ignótum, aspectúque venerábilem edóctus, veræ christiánæ fidei philosophiam ampléxus est. Hinc sacræ Scriptúræ libros diu noctúque præ mánibus habens, ita ex eórum meditatióne divinus ignis in ánima ejus exársit, ut ea qua pollébat eruditiónis vi, eminentem Jesu Christi sciéntiam adéptus, plúrima conscripserit volúmina ad christiánam fidem exponéndam, magisque propagándam.

℞. Honéstum. [40]

Temp. Pasch. ℞. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Et ætéritas téporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et ætéritas.

Lectio v.

Inter præclaríssima Justiní opera binæ eminent fidei christiánæ apológiæ, quas cum coram senátu, imperatóribus Antonino Pio, ejúsque filiis, nec non Marco Antonino Vero, et Lúcio Aurélio Cómodo Christi ásseclesævíssime divexántibus porrexisset, eamdémque

fidem disputádo stréne propugnásset, obtínuit ut a Christianórum cæde público princípum edicto temperátum fúerit. Verum Justino haud párcitum est. Nam Crescéntis Cynici, cujus vitam et mores nefários redargúerat, insidiis accusátus, a satellítibus comprehénsus est. Addúctus autem ad Romæ præsidem nómine Rústicum, cum hic ab eo quæsiúisset quænam essent Christianórum præcepta, hanc bonam confessiónem coram multis téstibus conféssus est : Rectum dogma, quod nos Christiáni hómines cum pietáte servámus, hoc est : ut Deum unum existimémus factórem atque creatórem ómnium quæ vidéntur, quæque corpóreis óculis non cernúntur; et Dóminum Jesum Christum Dei Fílium confiteámur olim a Prophétis prænuntiátum, qui et humáni géneris judex ventúrus est.

℞. Desidérium. [41]

Temp. Pasch. ℞. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

Quóniam Justinus in prima sua apológiá palam exposúerat quómodo Christiáni convenirent ad sacra celebránda, et quænam fúerint sacri hujus convéntus mystéria, ad repelléndas ethnicórum calúmias, exquisivit ab eo præses in quonam loco conveniret ipse et céteri hujus urbis Christifidéles. Justinus autem réticens convéntuum loca ne sancta et fratres próderet cánibus, domicílium tantum suum indicávit, ubi manére, et discipulos excólere solébat penes célebrem título Pastóris in ædibus Pudéntis. Demum præses optiónem ei dedit vel ut diis sacrificáret, vel per totum corpus flagéllis cædi perférret. Cum invíctus fidei vindex asséreret se in votis semper habuisse cruciátus pépeti propter Dóminum Jesum Christum, a quo magnam in cælis mercédem cónsequi exspectábat, præses in eum capitálem senténtiam pronuntiávit. Itaque mirábilis philosophus Deum colláudans, post vérbera, fuso pro Christo ságuine, glorióso martyrio coroná-

tus est. Quidam vero fideles clam illius sustulérunt corpus, et in loco idóneo condidérunt. Leo décimus tértius Póntifex máximus ejúsdem Officium et Missam ab univérsa Ecclésiá celebrári præcépit.

℞. Stola. [41]

Temp. Pasch. ℞. Fíliæ Jerúsalem. [57]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. xij.

In illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Nihil opértum est, quod non revelétur : neque absconditum, quod non sciátur. Et reliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia in cap. x. Matth. vers. xxvj. et seq.

Nihil est opértum quod non revelábitur, nec occúltum quod non sciétur. Quod autem dicit, hujúsmodi est : súfficit quidem vobis ad consolatióne si ego Magíster et Dóminus consors sim conviciórum. Si vero adhuc dolétis hæc audiéntes, illud quoque ánimo reputáte, vos non multum póstea ab hac

suspicióne liberátum iri. Cur enim id ægre fertis? Quia præstigiátóres et deceptóres vos vocant? At páululum exspectáte, et servatóres, benefactorés-que orbis vos prædicábunt omnes. At enim tempus illa ómnia quæ subobscura erant revelábit, et illórum calúmniam déteget, virtutémque vestram conspicuam reddet. Cum enim ex rebus ipsis comprobámini salvatóres esse et benéfici, et omni virtúte conspícuí, illórum dictis hómínes non atténdent, sed rei veritáti : ac illi quidem sycophántæ, mendáces, malédici, vos vero ipso sole splendidióres deprehendémini : multum quippe témporis spátium vos notos reddet, prædicábit, et tuba clariórem emittet vocem, vestraeque virtútis testes univérsos hómínes exhibébit. Neítaque ea, quæ nunc dicúntur, vos dejíciant, sed spes futurórum bonórum érigat. Non possunt enim ea, quæ ad vos spectant, occul-tári.

℟. Coróna áurea. [44]

Temp. Pasch. ℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmítes : * Qui manet in me,

et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. ℞. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. — Qui manet.

Lectio viij.

Déinde postquam illos omni angóre, timóre, et sollicitúdine liberávit, et probris ómnibus superióriores réddidit, demum illos opportúne de libertáte prædicánde allóquitur; nam dicit : Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Quamquam non erant ténebræ cum hæc díceret, neque ad aurem loquebátur : sed hæc hyperbólice dicta sunt. Quia enim solos alloquebátur, et in parvo Palæstínæ ángulo, ideo dicit : in ténebris et in aure, hunc loquéndi modum cómparans cum loquéndi fidúcia, qua illos póstea instructúrus erat. Ne in una, duábus tribúsque civitátibus, sed per totum orbem prædicáte, terram maréque peragrántes, habitátam, non habitátam, ac tyránnis, pópulis, philósophis, rhetóribus cum magna fidúcia ómnia dícite. Ideo dixit super tecta et in lúmine

sine ullo subterfúgio et cum omni libertáte.

℟. Hic est vere. [44]

Temp. Pasch. ℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia : * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia. ℞. Cándidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. — Et sicut lac.

Glória Patri. Et sicut lac. In Quadrages. Lectio ix. de Homilia Feriæ.

Post Pascha, de SS. Martyribus Tiburtio, Valeriano et Maximo,

Lectio ix.



Aleriánus Romá-nus, nóbili génere ortus, Alexándro Severo imperatóre, hortá-tu beátæ Cæciliæ Virgí-nis, quam sibi pari nobilitáte uxórem despónderat, una cum Tibúrtio fratre a sancto Urbáno Papa baptizátur. Quos ubi præ-féctus Urbis Almáchius Christiános esse cognóvit, et património paupéribus distribúto, Christianórum córpora sepelíre; accersí-tos gráviter reprehéndit : atque ubi Christum Deum constánter confiténtes, deos autem dæmoniórum

inánia simulácula prædicántes videt, virgis cædi jubet. Sed cum verbéribus cogi non possent, ut Jovis simulácrum veneraréntur, imo fortes in fidei veritáte permanérent, ad quartum ab Urbe lápidem secúri feriúntur. Quorum virtútem admirátus Máximus præfécti cubiculárius, qui eos ad sup-plicium perdúxerat, Christiánum se esse profés-sus est, cum multis præ-térea præfécti ministris : qui paulo post plumbátis contúsi, omnes ex diaboli ministris, Christi Dómini Mártyres evasérunt.

Te Deum. 20.

Si celebretur alia die,

Lectio ix.

Déinde postquam illórum eréxit ánimos, rursum perícula prædicít, illórum mentem érigens, omnibúsque sublimióres reddens. Quid enim ait? Nolíte timére eos qui occí-dunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Viden quómodo illos ómnibus superióres reddat, non curas modo, non maledícta, perícula, invidias, sed étiam mortem ómnium terribilíssimam contém-nere docens? Neque sim-

pliciter mortem, sed etiam violentam? Neque dixit, Occidimini, sed cum magnificentia congruente totum declaravit. Nolite timere, dicens, ab iis qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam: in contrarium vertens sermonem, uti semper facit. Quid enim sibi vult? Timetis mortem, ideoque ad predicandum signiores estis? Sed hac de causa potius, praedicat, quia mortem timetis. Illud enim vere vos a morte eripiet. Nam etiamsi vos interempturi sunt, meliorem tamen partem non separabunt, etiamsi id totis viribus conentur. Ideo non dixit: Animam autem non occidunt; sed, Non possunt occidere. Nam etiamsi velint, non separabunt. Itaque si supplicium times, illud longe gravius time. Viden quomodo non promittat, se illos a morte liberaturum esse, sed mori permittit, maiora largiturus quam si id non permitteret? Longe enim majus est suadere ut mors sper-

natur, quam a morte erueret. **Te Deum. 20.**

In Laud. post Commem. Feriae in Quadrages., pro SS. Mart. Aña. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passeribus meliores estis vos.

✠. Exsultabunt.

Temp. Pasch. Aña. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, et aeternitas temporum, alleluia.

✠. Sancti et justi.

DIE XVII. APRILIS.

S. Aniceti I.

Papae et Martyris.

Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

✠. Gloria et honore.

T. P. Aña. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Dñe, et aeternitas temporum, alleluia. ✠. Sancti.

Oratio.

DEus, qui nos beati Aniceti Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate laetificas: concede propitius, ut ejus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dñum.

Lectio iij.

Nicetus Syrus, imperatore Marco Aurélio Antonino, praefuit Ecclesiae. Decrevit, ne clerici comam nutrent. Quinques mense Decembri ordinavit Presbyteros decem et septem, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca novem. Vixit in pontificatu annos octo, menses octo, dies viginti quatuor. Propter Christi fidem martyrio coronatus, sepultus est via Appia in coemeterio, quod postea Callisti appellatum est, decimoquinto Kalendas Maias.

Te Deum laudamus. 20.

Ad Laudes, Aña. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. ✠. Justus.

Temp. Pasch. Aña. Filiae Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnatis et laetitiae, alleluia, alleluia. ✠. Pretiosa.

DIE XXI. APRILIS.

S. Anselmi

Episc., Conf. et Ecclesiae Doct. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. [85] praeter seq.

Ad Magnif. Aña. O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Anselme, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Oratio.

DEus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Anselmum ministrum tribuisti: praesta quaesumus, ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dñm.

In j. Noct. Lect. Sapien-tiam. de Communi. [105]

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Nselmus, Augustae Praetoriae in finibus Italiae, Gundulpho et Ermembega, nobilibus et catholicis parentibus natus, a teneris annis assiduo litterarum studio atque perfectioris vitae desiderio, non obscurum futurae sanctitatis et doctrinae specimen dedit. Et licet juvenili ardore aliquando ad saeculi illucebras traheretur, brevi tamen in pristinam viam revocatus, patria et bonis omnibus derelictis, ad monasterium Becense ordinis sancti Benedicti se contulit: ubi emissa regulari professione sub Her-

luino Abbate observantissimo, et Lanfranco viro doctissimo, tanto animi fervore, et jugi studio in litteris et virtutibus assequendis profecit, ut mirum in modum tamquam sanctitatis et doctrinae exemplar ab omnibus haberetur.

℞. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia. ✠. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocet ei. — Manus.

Lectio v.

Abstinentiae et continentiae tantae fuit, ut assiduitate jejunii omnis pene ciborum sensus in eo videretur extinctus. Diurno enim tempore in exercitiis monasticis docendo, et respondendo variis de religione quaesitis, emenso, quod reliquum erat noctis, somno subtraherat, ut divinis meditationibus, quas perenni lacrymarum imbre fovebat, mentem recrearet. Electus in Priorem monasterii, invidos fratres ita caritate, humilitate, et prudentia lenivit, ut quos aemulos acciperat, sibi et Deo amicos, maximo cum regularis observantiae emolumento

redderet. Mortuo Abbate, et in ejus locum (licet in virtus) suffectus, tanta doctrinae et sanctitatis fama ubique refluxit, ut non modo regibus et Episcopis venerationi esset, sed sancto Gregorio septimo etiam acceptus, qui tunc magnis persecutionibus agitatus, litteras amoris plenas ad eum dedit, quibus se et Ecclesiam catholicam ejus orationibus commendabat.

℞. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia. ✠. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi.

Defuncto Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, ejus olim praepotore, Anselmus, urgente Willielmo Angliae rege, et instantibus clero ac populo, ipso tamen repugnante, ad ejusdem Ecclesiae regimen vocatus, statim (ut corruptos populi mores reformaret) verbo et exemplo prius, dein scriptis, et conciliis celebratis, pristinam pietatem, et ecclesiasticam discipli-

nam reduxit. Sed cum mox idem Willielmus rex vi et minis Ecclesiae jura usurpare tentasset, ipse sacerdotali constantia restitit; bonorumque direptionem, et exilium passus, Romam ad Urbanum secundum se contulit: a quo honorifice exceptus, et summis laudibus ornatus est, cum in Barensi concilio Spiritum sanctum etiam a Filio procedentem contra Graecorum errorem innumeris Scripturarum, et sanctorum Patrum testimoniis propugnasset. E vivis Willielmo sublato, ab Henrico rege ejus fratre in Angliam revocatus, obdormivit in Domino, famam non solum miraculorum, et sanctitatis (praecipue ob insignem devotionem erga Domini nostri passionem, et beatam Virginem ejus Matrem) assecutus, sed etiam doctrinae, quam ad defensionem christianae religionis, animarum profectum, et omnium theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt, normam caelitus hausisse ex ejus libris omnibus apparet.

℞. Iste est. [93]

In iij. Nocturno, Homilia. Vos estis sal. de Communi Doct. ij. loco. [109]

In ij. Vesp. Comm. sequ.

DIE XXII. APRILIS.

SS. Soteris et Caji Pontificum et Martyrum. Semiduplex.

Omnia de Communi Martyrum temp. Pasch. [53] praeter sequentia.

Añā. Lux perpetua lucet sanctis tuis Domine, et aeternitas temporum, alleluia. ✠. Sancti et just.

Oratio.

Beaatorum Martyrum, pariterque Pontificum Soteris et Caji nos, quaesumus Domine, festa tueantur: et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iij.

Soter, Fundis in Campania natus, sancivit, ne sacrae virgines vasa sacra et pallas attingerent, neve thuris ministerio in Ecclesia uterentur. Idem statuit, ut Christi corpus in Coena Domini sumeretur ab omnibus, iis exceptis, qui propter grave peccatum

id facere prohiberentur. Sedit in pontificatu annos tres, menses undecim, dies decem et octo : martyrio coronatur sub Marco Aurelio imperatore, et in caemeterio, quod postea Callisti dictum est sepelitur, more majorum mense Decembri creatis Presbyteris decem et octo, Diaconis novem, Episcopis per diversa loca undecim.

R. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, alleluia, alleluia. **V.** Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinébunt. — Et aeternitas.

Lectio v.

CAjus Dalmata, ex genere Diocletiani imperatoris, constituit, ut is ordinum et honorum gradibus in Ecclesia ad episcopatum ascenderetur : Ostiarii, Lectoris, Exorcistae, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Hic Diocletiani crudelitatem in Christianos fugiens, aliquamdiu in spelunca delituit : verum octo post annis una cum Gabino fratre martyrii coronam consecutus est, cum sedisset

annos duodecim, menses quatuor, dies quinque, creatis mense Decembri Presbyteris vigintiquinque, Diaconis octo, Episcopis quinque. Sepultus est in caemeterio Callisti, decimo Kalendas Maii. Ejus memoriam Urbanus octavus in Urbe renovavit, dirutam ecclesiam restituit, Titulo, Statione, et ipsius reliquiis decoravit.

R. In servis suis, alleluia, * Consolabitur Deus, alleluia. **V.** Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. — Consolabitur. Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

Lectio vj. Serm. xxij.

Dignum et congruum est, fratres, ut post laetitiam Paschae, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum sanctis Martyribus conferamus : et iis annuntiemus Dominicae resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicae passionis. Qui enim socii sunt contumeliae, debent et participes esse laetitiae. Ita enim dicit beatus Apostolus : Sicut socii passionum estis, et resurrectionis eritis : si tolerabimus, inquit, et conregnabimus. Qui ergo

toleraverunt mala propter Christum, debent et gloriam habere cum Christo.

R. Filiae Jerusalem. [57]
In iij. Nocturno, Homilia.
Ne quisquam putaret. de Communi ij. loco. [62]
Vesperae a Capitulo de sequenti.

DIE XXIII. APRILIS.

S. Georgii

Martyris. Semiduplex.

Omnia de Communi Martyrum temp. Pasch. [53] praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui nos beati Georgii Martyris tui meritis et intercessione laetificas : concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuae gratiae consequamur. Per Dominum.

Et sit Commem. praeced.

Añ. Sancti et justi in Domino gaudete, alleluia : vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluia.

V. Pretiosa.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno, Lectiones. Quibus ego vos laudibus. de Communi ij. loco. [60]

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. de Comm. [57]

Vesperae de sequenti.

DIE XXIV. APRILIS.

S. Fidelis a Sigmaringa

Martyris. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. T. P. [53] praeter seq. Oratio.

DEus, qui beatum Fidelis seraphico spiritus ardore succensum in verae fidei propagatione martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es : ejus quaesumus meritis et intercessione, ita nos per gratiam tuam in fide et caritate confirma ; ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

Commem. praeced. Añ. Sancti et justi. ut supra. **V.** Pretiosa.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Fidelis in oppido Sueviae Sigmaringa ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte aetate singularibus naturae et gratiae donis ornatus praefulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optima imbutus disciplina, dum Friburgi philosophiae et juris utriusque lauream emeruit, in schola etiam

Christi ad perfectiōnis ápicem sédulo virtútum exercítio conténdere cœpit. Nobílium exínde virórum várias Európe províncias lustrántium comes ascítus, eos ad christiánam pietátem sectándam, tam verbis quam opéribus excitáre non déstitit. Quinímo in eódem itinere crebris austeritátibus desidéria carnis mortificáre, ac ita seípsum régere stúduit, ut in tanta rerum vicissitúdine nullo unquam visus fúerit iræ motu perturbári. Juris prætérea, et justítie strénuus propugnátor, post réditum in Germániám célebre sibi nomen acquisívit in advocáti múnere, in quo tamen cum fori perícula esset expértus, tutiorem æternæ salutis viam ingredi deliberávit, et supérna vocatióne illustrátus, paulo post órđini Seráphico inter fratres Minóres Capuccinos ascribi pétiit.

℞. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Et æternitas témporum, allelúia, allelúia. ✠. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum, gáudium et exultatiónem obtinébunt. — Et æternitas.

Lectio v.

PLÆ petitiōnis compos rédditus, mundi súlque contéptor insígnis, in ipso statim tirocinio, magisque cum solémnis professiōnis vota in gáudio spíritus Dómino nuncupásset, in regulári observántia ómnibus admiratióni fuit, et exémplo. Orationi máxime, et sacris lítteris vacans, in verbi quoque ministério singulári grátia excéllens, nedum Cathólicos ad meliorem frugem, verum étiam heterodóxos ad veritátis cognitiónem attráxit. Plúribus in locis cœnóbii præfécus constitútus, prudéntia, justítia, mansuetúđine, discretiōne, et humilitátis laude, munus sibi demandátum exércuit. Arctíssimæ paupertátis zelátor egrégus, quidquid vel minus necessárium viderétur, e cœnóbio pénitus eliminávit. Inter austéra jejúnia, vigílias, et flagélla salutári seípsum prósequens ódio, in álios amórem, quasi mater in filios, osténdit. Cum pestífera febris Austríacas militáres cópias dire afflígeret, ipse in extrémis infirmórum indigéntiis ad assí-

dua caritátis officia toto spíritu incubuit. In componéndis étiam animórum dissídiis, aliisque próximi necessitátibus sublevándis consílio et ópere ádeo præcláre se gessit, ut pater pátriæ merúerit appellári.

℞. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ✠. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

DEíparæ Vírginis et rosárii cultor exímus, illius præcipue, aliorúmque Sanctórum patrocinio a Deo postulávit, ut in cathólicæ fidei obséquium vítam sibi et sánguinem fúndere licéret. Cumque ardens hoc desidérium in quotidíana Sacri devóta celebratióne magis accenderétur, mira Dei providéntia factum est, ut fortis Christi athléta præses eligerétur illárum missiōnum, quas Congregátiō de Propagánda Fide pro Rhætia tunc témporis institúerat. Quod árduum munus prompto hilarique ánimo suscipiens, tanto fervóre exsecútus est, ut plúribus hæréticis ad or-

thodóxam fidem convérserit totíus illíus gentis Ecclésiæ, et Christo reconciliándæ. Prophetiæ dono præditus, futúras Rhætiae calamitátes, súque necem ab hæréticis inferéndam sæpius prædixit. Postquam vero insidiárum probe cónscius, impendénti agóni se præparásset, die vigésima quarta Aprílis anno millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo ad ecclésiám loci, Sevísium nuncupáti, se cóntulit, ubi ab hæréticis, qui pridie conversiōnem simulántes, eum dolóse ad prædicándum invitáverant, concióné tumultuárie interrúpta, per vérbera ac vulnere eidem crudéliter inflícta gloriósam mortem magno et álacri corde perpéssus, primitias Mártýrum memorátæ congregatiōnis próprio ságuine consecrávit; plúribus signis et miráculis exínde clarus, præsertim Cúriæ et Veldkirchii, ubi summa pópuli veneratióne illius reliquiæ asservántur. ℞. Filíæ. [57]

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. de Comm. [57] Vesperæ de sequenti.